DE

CALCVLO MINERVAE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO LOCO

IN EO RITE OBTINENDO

A. D. XXIX NOVEMBRIS A. O. R. CIↃIↃCCXCVI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

DISPVTABIT

AVG. CORNELIVS STOCKMANN

ICTVS ET ANTECESSOR

SOCIO A MERIDIE

IOANNE GODOFREDO RADISCH

NIEDERSEIFERSDORFFIO-LVSATO

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA

Poscimur ad inopinatam disputationis societatem. Si quid ergo pretium operae fecimus elegantioris iurisprudentiae specimibus, quae quatuor abhinc lustris excidere scriniis nostris passi sumus: age, iam, noua scribendi necessitate imposita, nouissimam iis symbolam addemus, et, quicquid restet, hac *de calculo Mineruae* scriptiuncula, in qua tamen chartae et temporis compendium est faciendum, a viris doctis istarumque delicjarum intelligentibus sub censuram vocata, vltimum Mineruae ipsi valedicimus acclamaturi. Neque tamen ignoramus, de argumento, in quo illustrando opera nostra versatur, a multis multa, eaque ob difficultates, quibus implicitum tenetur, plane diuersa, proposita fuisse. Primus quidem, qui *de calculo Mineruae* academica Dissertatione *Argent. 1658.* et in *Eius Operibus ibid. 1712. 4. Tom. I. p. 200.* seqq. edita, magna doctrinae copia exposuit, Io. Henr. Boeclervs, id potissimum egit, vt in calculi huius caussam, parricidium Oresteum, diligenter inquireret, omnemque rem, collectis vtriusque partis, et accusantium, et defendentium, argumentis, ad ciuilis philosophiae veritatem reduceret. Hunc ex-

 cepit

cepit Pavl. Franc. Romanvs Diss. *de calculo Mineruae*, *Lips. 1668. 4.* qui rei antiquitatem magis attigit, quam illustrauit, et de iure suffragandi in vniuersum commentatus est. Elegans, fatente ipso Püttmanno, et laboriosa sane Io. Ortw. Westenbergii *de calculo Mineruae*, seu, *de lege ἰσοψηφίας eiusque iustitia* Oratio, *Harderouici 1715. 4.* ob raritatem et praestantiam in *Opusculorum academicorum Triade*, quam Ios. Lvd. Ern. Püttmannvs suis animaduersionibus, paucis licet, auctam, *Lips. 1795. m. 8.* edidit, recusa legitur *p. 1—54.*, qua ille quidem, omnibus omnino praesidiis ad caussam hanc perorandam necessariis instructus accurate disseruit, et vniuersae rei indolem ex ipsis fontibus limpidissimis adeo deduxit, vt omnibus palmam praeripuisse videatur. Paucis plagulis absoluitur Io. Vlr. Crameri *Programma calculo Mineruae suos terminos vindicans*, *Marb. Cattor. 1733. 4.* et in *Opusc. Tom. II. num. 18.* lectu tamen dignissimum. Sed nec defuerunt inter Batauos, qui denuo eruditorum examini idem argumentum subiecerint. Sic, ne plenam libellorum perfectamque, quoad eius fieri possit, notitiam daturi, iniuria et oscitantia quid omisisse videamur, Ian van der Wolff, cui laborem Westenbergianum non innotuisse vehementer admiratus sum, Dissertationem inauguralem *de calculo Mineruae Lugd. Bat. 1754.* proposuit, sua quidem perspicuitate commendabilem, at ex Boeclero, saepius ne laudato quidem nomine, consarcinatam. Sic Theod. Franc. Hage Opusculum *de suffragiis*, seu, *calculo Mineruae*, *Lugd. Bat. 1765.* in dias luminis auras emisit, quod, a nostratibus saepius, sed irritis semper precibus, a nobis expetitum, et ex annalibus litterariis tantum

cogni-

cognitum, ſitne quantiuis pretii, an vero, vt plurimae huius generis ſcriptiunculae, in academiis Belgicis recentiori aetate editae, et a nonnullis inter populares noſtros vsque ad faſtidium laudatae, trita ſolum ac decantata complectatur, aliis diiudicandum relinquimus. Nuperrime tandem beatus Püttmannus, facta ante annos aliquot in *Element. iur. crimin. Lipſ. 1779. 8. Lib. II. cap. 23. §. 976. et 977. p. 482. ſqq.* rei mentione, calci *Weſtenbergianorum*, quae ſupra laudauimus, *Opusculorum pag. 185. ſeq.* ſingularem Excurſum adiecit, ac pro ea, qua viuit adhuc, eruditionis laude, pauca quaedam aduerſus Weſtenbergium diſputauit. In hoc litteratiſſimorum hominum conflictu liceat nobis, bona venia paullo moroſiorum, ſi qui futuri ſint, cenſorum, alacriore animo obſeruationum, quae vel ad prius dicta contra nonnullorum adſertiones vindicanda atque firmanda, vel ad praetermiſſa ſupplenda et adiicienda pertineant, quoddam ſpicilegium inſtituere, ipſumque de deciſione per calculum Mineruae argumentum, quod neque a ſtudiorum noſtrorum rationibus, neque a noui muneris auſpiciis prorſus alienum exiſtimamus, iis cancellis circumſcribere, vt, quae ad rei antiquitatem et hiſtoriam faciunt, delibemus, ac ſoli iuris poſitiui diſciplinae immoremur, ſepoſitis omnibus, quae ab Hvg. Grotio *de iure belli ac pacis Lib. II. cap. V. §. 17. ſqq.* Henr. Cocceio Diſſ. *de eo, quod iuſtum eſt circa numerum ſuffragiorum, Francf. 1705.* et in *Exercitt. curioſ. Lemgou. 1722. 4. Tom. II. p. 700.* Christ. Schloezero Comm. *de iure ſuffragii in ſocietate aequali, Gotting. 1795. 4.* aliisque iuris naturalis interpretibus, tum data opera, tum perfunctorie ſunt in hanc partem propoſita.

CAP. I.

DE CALCVLORVM IN IVDICIIS VSV.

Ac calculos quidem, quos Oceani ſpolia Caligula nominauit apud SVETONIVM *cap. 46.* quorumque de vſibus in ludo adhibitis DAN. SOVTERII *Palamedes*, *Lugd. Bat. 1622. 8.* ANDR. SENFTLEB libr. ſing. *de alea veterum* in GRONOVII *Theſ. Ant. graec. Tom. VII. p. 1121.* IO. CORN. de PAVW Diatr. *de alea veterum*, *Trai. ad Rh. 1726. 8.* et IOS. AVERANIVS in *Monumentis latinis poſtumis*, *Florent. 1769. 8.* fuſius expoſuerunt, numeris et computationibus pariter, ac plurimis aliis veterum tum Graecorum tum Latinorum negotiis inſeruiiſſe, ſatis conſtat. In his, quae calculorum vſum admiſerunt, negotiis eminet potiſſimum ſententiarum cum in comitiis et in Senatu, tum in iudiciis latarum ratio. Producta enim, quod ritum iudicii in Graecia habendi attinet, vtrinque cauſſa, et oratoribus dimiſſis, moris fuit, vt in conſilium mitterentur iudices, ſiue, quod idem fuit, vt permitterent calculum ac porrigerent. Euincitur hoc e Xenophontis Conuiuio, vbi, inſtituto de pulchritudine certamine, Critobolus *cap. V.* οὐκέτι, inquit, ἔχω πρός σε ἀντιλέγειν. ἀλλὰ διαφερόντων τὰς ψήφους, ἵνα ὡς τάχιστα εἰδῶ, ὁ, τι με χρὴ παθεῖν, ἢ ἀποτίσαι· μόνον, ἔφη, κρυφῇ φερόντων. Fuerunt ipſi hi calculi iudiciarii initio conchulae marinae, deinde fabae, folia, cespes, et alia ſortitionis ſigna. Certe IVLIVS POLLVX *Onomaſt.* ex edit. IO. HENR. LEDERLIN et TIBER. HEMSTERHVIS, *Amſt. 1706. II. T. f. lib. VIII. cap. VI.* ſcribit: πάλαι γὰρ χαιρίναις ἀντὶ ψήφων ἐχρῶντο. εἴπερ ἦσαν κόγχαι θαλάττιαι. αὖθις δὲ καὶ χαλκᾶς

κᾶς ἐποιήσαντο κατὰ μίμησιν. Καὶ σπόνδυλοι ἐκαλοῦντο αἱ ψῆφοι δικαστικαὶ χαλκοῖ πεποιημέναι. Κάδδισκος μὲν οὖν ἐστὶ ἀγγεῖον, ᾧ τοὺς ψήφους ἐγκαθίεσαν. Κημὸς δὲ, δι' οὗ κατῆεσαν αἱ ψῆφοι, ἐπικειμένος τῷ καδδίσκῳ. Sic inuenti tandem calculi, quibus iudices vtebantur, si albi et integri essent, ad absoluendum: sin nigri et perforati; ad condemnandum. Innuerunt hoc SVIDAS *Lex. h. v.* ψῆφος μέλαινα, ἡ καταδικάζουσα: λευκὴ δὲ, ἡ δικαίουσα: et VLPIANVS *in Timocrateam Demosthenis*: αἱ ψῆφοι δὲ ποτὲ μὲν τετρημέναι καὶ ἄτρητοι, ποτὲ δὲ μέλαιναι καὶ λευκαὶ. αἱ μὲν τετρημέναι καὶ μέλαιναι ἦσαν καταψηφιζόμεναι· αἱ δε λευκαὶ ἄτρητοι ἦσαν αἱ σώζουσαι. Vnde OVIDIVS *Metamorph. Lib. XV. v. 41. seqq.* cecinit:

Mos erat antiquis niueis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absoluere culpa.
Tunc quoque sic lata est sententia tristis: et omnis
Calculus immitem dimittitur ater in vrnam:
Quae simul effudit numerandos versa lapillos,
Omnibus e nigro color est mutatus in album.

In Senatu autem Areopagitarum duas ad calculos immittendos vrnas, vnam aeneam, ligneam alteram, quarum diuersa cognomina POTTERVS *Archaeol. Lib. I. cap. 19.* in GRONOV. *Thes. T. XII. p. 93.* exhibet, positas fuisse obseruauit SCHOLIASTES *Aristoph. in Vesp. v. 981.* In quibus cum ἐλέου, h. e. misericordiae, ac θανάτου, h. e. mortis vrna occurrat; haud immerito, quoniam reum morte multandum decernit, ad eam refertur PERSIVS *Sat. IV. v. 13.*

Et potis es vitio nigrum praefigere Theta.

Dignus

Dignus eſt, qui ſuper hoc loco et in vniuerſum ſuper recepta in iudiciis damnandi nota conſulatur IANVS RVTGERSIVS *Var. Lectt. Lugd. Bat. 1618. 4. Lib. V. cap. XVII. p. 502. ſequ.*

Graecos, in grauioribus potiſſimum cauſſis, imitati ſunt Romani, qui, cum antiquis temporibus viua voce ac palam ſuffragarentur, legibus tabellariis propoſitis, punctis et calculis vſi ſunt. Huc reſpicit PROPERTIVS *Lib. IV. Eleg. 12. v. 47. ſqq.*

Mi natura dedit leges, a ſanguine ductas,
Nec poſſum melior iudicis eſſe metu.
Quaelibet auſteras de me fert vrna tabellas:
Turpior aſſenſu non erit vlla meo.

ASCONIVS autem in *Orat. Cic. pro M. Scauro* ad populum repetundarum delato: *abſolutus eſt*, inquit, *Scaurus quidem, ſed ita, vt a tribus tribubus damnaretur, a triginta duobus abſolueretur, et in eis pauca puncta inter damnationem et abſolutionem intereſſent.* Quo in loco male in exemplaribus nonnullis legitur: *triginta ſeptem:* cum ipſos inter Dupondios conſtet, triginta quinque tribus fuiſſe. Quibus rebus effectum eſt, vt calculi vocabulum vſurpatum ſit pro ipſa iudicis ſententia in *L. 14. C. de iudiciis* et *l. 10. C. de appellat.* Iam vero vti, teſte MACROB. *Saturn. I. 15.* album colorem laetitiae, nigrum moeroris proditorem eſſe iudicarunt: ita reorum abſolutionem, quae laetitiam gignit, albis; condemnationem, tamquam rem funeſtam, nigris lapillis notarunt. Vnde interpretari voluerunt vexatiſſimum illum locum *Apocal. II. 17.* τῷ νικῶντι ψῆφον λευκὴν δώσω: de quo conſulendi ſunt GVIL. SALDENVS Exerc. *de calculo albo* in *Eius Otiis theolog. lib. I. p. 167. ſequ.* CHRIST. DAV. FVNCCIVS Diſſ. *de* ψήφῳ λευκῇ in

Theſ.

Thes. theol-philolog. T. II. p. 829. et SIGISM. FRID. DRESIG Diss. doctissime conscripta *de vsu alborum calculorum apud veteres ad Apocal. II, 17. Lips. 1731. 4.*

CAP. II.

DE IPSO MINERVAE CALCVLO.

Quo certiora sunt, quae, in tanta rerum antiquarum obscuritate, calculorum vsu non solum intermisso, verum etiam penitus amisso, cum lecturis communicauimus; eo magis hallucinantur doctissimi viri in Mineruae calculo explicando. Eius originem repetunt plerumque ex fabulosa antiquitate, qua Orestem, Agamemnonis et Clytemnestrae filium, adepta pubertate, patris sui a matre interfecti mortem vindicaturum, tradunt vna cum Pylade occidendae matris consilium cepisse, et Clytemnestram matrem pariter, ac adulterum Aegysthum noctu interfecisse: quo parricidio perpetrato, Orestem, certa Argis damnatione proposita, Athenas profugisse, et Mineruae supplicem factum in seuerissimo Areopagitarum senatu: quorum cum paria essent suffragia, Mineruae beneficio fuisse eum liberatum. Pluribus rem exposuit NATALIS COMES *Mytholog. Hanou. 1619. 8. lib. IX. cap. 2. p. 953. sequ.* Sic fabulae antiquae. Ab his diuersus est in tradenda rei origine IOSVA BARNESIVS *ad Euripidis Iphigen. in Tauris v. 1469. P. II. p. 106. Cantabrig. 1694. 4. Et hoc primo,* inquit, *factum nonnulli putant Themistoclis caussa, qui valde iuuenis cum erat adulter ἐν αὐτοφώρῳ deprehensus, cum paribus suffragiis non absoluerètur, quidam e iudicibus paullo solertior dixit, aequum esse, vt*

 Palladi

Palladi, Ἀκροπόλεως, *Praesidi suum quoque suffragium permitteretur: deos autem semper misericordes esse: atque hinc Themistoclem euasisse, et legem postea de paribus suffragiis ad absolutionem valentibus stabilitam.* Verum enim vero longe grauior viris doctis altercatio intercessit super iusta huius calculi ratione formanda. In duas partes abeunt. Neque immerito, cum in ratione adiecti calculi veteres adeo auctores sibimetipsi non constent. Sunt, qui Aristidis, Iuliani ac Philostrati testimoniis fulti, intelligant de maioris partis suffragio, vt adeo calculo calculis iudicum aequalibus a Minerua in absoluentem partem adiecto, pars damnans vno tantum calculo superata sit. Defendit hanc potissimum sententiam Io. Meursius *Areop. cap. X.* in Gronovii *Thes. Tom. V. p. 2114. Absolutus*, inquit, *Orestes in hoc iudicio, cum aequalibus vtrinque suffragiis suum ipsi calculum Minerua adiecisset: vnde postea vsurpatum in sententiis ferendis, cum suffragia essent paria, vt absolueretur reus, adiecto calculo, qui Mineruae in memoriam huius rei dicebatur.* Idem statuunt Thom. Stanleius *Comm. in Aeschyli Trag. Lond. 1663. 4. p. 842.* Ios. Barnesius *ad Euripidis Iphigen. in Tauris v. 965. P. II. p. 64. et v. 1469. p. 106.* et Phil. Maria Renazzi Diat. *de ordine, seu, forma iudiciorum criminal. Rom. 1777. 8. p. 11.* At vero alii, iique plures, quorum antesignanus Io. Boeclerus Diss. laud. *de calc. Min.* censendus est, ea omnia negant, et calculum istum de lege parium tabellarum accipiendum esse autumant: qui quidem, quamuis neque elegantiae laude, neque acuminis subtilitate destituantur, nondum tamen satisfecisse videntur omnibus. Recte enim Io. Frid. Gronovius Orat. *de lege regia, Lugd. Bat. 1678. 8. p. 52. sequ.* pronunciauit: *quis intelligat,*

vt

vt suffragium quasi Minerua ferret? quis, vt calculus quidam nomine ipsius, velut et Mineruae ferretur? Nec Mineruae calculus exactum iudicium est, contrarium illi, Sus iudicauit, vt per ironiam dissimulantiamque in stupidum et nullius iudicii hominem iacitur: non suffragium, a quo prouocare non licet, quia Iupiter scilicet Mineruae petenti nihil negauerit: non sapientissimum et Ciceroni dictum Archimedium consilium, quod sequendum omni tempore senatus putaret. Inuita Minerua, vti bene addidit WESTENBERGIVS *Opusc. acad. Triad. p. 13.* Vnde ANTON. DAD. ALTESERRA *de fictionibus iuris Tract. III. cap. 17.* Mineruae calculum fictionem iuris esse voluit. Ego vero quamquam non ita arrogans sum, vt inter tantos viros, quibuscum neque ingenii subtilitate sum, neque iudicii acumine, neque doctrinae copia vllo modo comparandus, me arbitrum sedere posse existimem: modeste tamen dicam, quod sentio, omnemque rem, qualem decet, qui didicit, exiguo se virium suarum modulo metiri, argumentis eruditorum hominum examini subiiciendis exponam.

Ac primum quidem cum valde trepidatum sit a viris, quos laudauimus, in notione constituenda; ea autem necessario tradenda sit, vt Dialectici praecipiunt, si quis aliquam rem sibi tractandam sumat: in eo potissimum iam elaborandum erit, vt eius rationem ex auctorum veterum locis exemplisque diligenter colligamus, et, quicquid illustrando Mineruae calculo inseruire possit, sedulo notemus. Quae vt ordine procedant, distinguendus ante omnia videtur Mineruae calculus ab ipsa, quae suos natales inde duxit, lege ἰσοψηφίας.

Fuit autem, mea quidem opinione, calculus Mineruae beneficium, quod in ſententiarum paritate reum ab vltimo ſupplicio liberauit. Videtur hoc optime conuenire rerum geſtarum monumentis, et fabuloſis illis, quibus originem vel a Marte homicidii, vel ab Oreſte, parricidii accuſato deducunt, et his, quae propius ad veritatem hiſtoricam accedunt. Stat praeterea ſuus vtrique aliter ſentientium parti honos. Quemadmodum enim, ſi MEVRSIVM audias, in pluribus ſuffragiis non opus eſt Mineruae tamquam deae ex machina interuentione: ita ſi BOECLEROS ac WESTENBERGIOS ſequi malis, in abſolutione per paritatem tabularum facta remanet, quod deſideres, cum proprie non abſoluatur, qui paribus ſuffragiis abſoluitur, ſed ſolum, cum penitus innocens haud viſus ſit, quaſi abſoluatur: non iure cauſſae, non innocentia: ſed beneficio legis, humanitate et miſericordia. Vnde Oreſtem, titubantibus ac diſſentientibus iudicibus, non pleniſſime, ſed quaſi abſolutum, cauſſa ad ipſam delata, impunitum Minerua dimiſit, ſuaque humanitate, cum antea proximus eſſet damnationi, conſeruauit. Perſentiscit tale quid PÜTTMANNVS, qui reiecta Weſtenbergii notione, Minervae calculum in *Excurſu p. 188.* ſcribit eſſe *neceſſitatem*, *reum*, *qui pares ſententias tulit*, *abſoluendi*, nihilo minus tamen, paucis interiectis, p. 196. pergit: *quo in periculo*, nempe condemnationis, vnde iudicum ſententiae neceſſe eſt iam fuerint perlatae, *quo in periculo cum verſaretur Oreſtes*, *quid mirum*, *ſi abſoluentibus Mineruae acceſſiſſe ſuffragium*, *itaque ipſe paribus ſententiis abſolutus fingeretur?* Atque his quidem verbis videtur et Weſtenbergii et Alteſerrae notionem nunc ſuam facere voluiſſe, licet commemorata deinceps

ceps aliorum opinione, qua paribus existentibus sententiis nouo iudicio opus fuisse existimant, dubius iterum haereat, dum finit: QVICQVID SIT, *fictione illa haud amplius opus est.* Ego vero, quam dubitationem ex poetarum et oratorum locis inter se quodammodo pugnantibus, vt adeo praeeunte BOECLERO WESTENBERGIVS *l. c. p. 18.* verba IVLIANI et ARISTIDIS de Mineruae calculo absoluentibus tum demum apponendo, cum calculi iam fuerint pares, non proprie, sed figurate intelligenda esse statuerit, ipsi subortam esse intelligo; eam nullus deprehendo, adhibita beneficii, reis a Minerua concessi, notione. Quid? quod illa ipsa veterum auctorum testimonia opinioni meae ex asse satisfaciunt, et tam egregie cohaerent, vt nulla pugna, nulla contradictio supersit. Iuuat igitur potiora, tamquam in vnum fasciculum collecta, iam apponere. Vt a poetis, quos BOECLERO ac WESTENBERGIO fauere constat, AESCHYLO inprimis atque EVRIPIDE, e quibus calculi illius origo solet deriuari, ordiar; non dicunt ii a Minerua calculum quendam esse paribus suffragiis adiectum, sed Orestem paribus suffragiis absolutum, Minerva volente ac iubente. Sic AESCHYLVS *Eumenid. v. 737,*

Ἐμὸν τὸ δ' ἔργον, λοισθίαν κρῖναι δίκην,
Ψῆφον δ' Ὀρέστῃ τὴν δ' ἐγὼ προσθήσομαι.

Impunitatem nimirum concedendo finem iudicio dissentienti imponit Minerua: ad quem locum SCHOLIASTES: ἐγὼ προσθήσω τὴν ἐσχάτην ψῆφον; ἢ ὅτι ἂν ἴσαι γένωνται, νικᾷ ὁ κατηγορούμενος. Recte quidem: sequitur enim vberior expositio *v. 744.*

Νικᾷ δ' Ὀρέστης, κἂν ἰσόψηφος κριθῇ.

Et paullo post:

Ἀνὴρ ὃγ' ἐκπέφευγεν αἱματος δίκην
Ἴσον γὰρ ἐστὶ τ' ἀρίθμημα τῶν πάλων.

Vbi iterum Scholia habent: Κἂν ἴσαι δειγένωνται αἱ ψῆφοι, ὁ κατηγορούμενος νικᾷ. Magis adhuc opinioni nostrae fauent verba EVRIPIDIS in *Iphigen. in Tauris v. 965.*

Φοῖβός μ' ἔσωσε μαρτυρῶν· ἴσας δὲ μοι
Ψῆφους διηρίθμησε παλλὰς ὠλένῃ,
Νικῶν δ' ἀπῆρα φόνια πειρατήρια.

Et, interpositis fere quingentis lineis *v. 1469. sequ.*

ὕνεκ' ἐκσώσασά σε
Καὶ πρίν γ' Ἀρείος ἐν πάγοις ψῆφους ἴσας
Κρίνασ', Ὀρέστα, καὶ νόμισμ' εἰς ταυτόγε,
Νικᾷν, ἐσήρεις ὅστις ἂν ψῆφους λάβῃ.

Rursus in *Electra*, *v. 1265. sequ.*

Ἴσαι δὲ σ' ἐκσώζουσι μὴ θανεῖν δίκῃ
Ψῆφοι τεθεῖσαι. Λοξίας γὰρ αἰτίαν,
Εἰς αὐτὸν ὄισει, μητέρος χρήσας φόνον.

Orestem his verbis Minerua erigit, ipsique, de Concilii Areopagitici seueritate sollicito, tamquam amica certa in re incerta, tribuendo, fluctuantibus iudicibus, beneficio freta, opem suam pollicetur, inuenta calculorum paritate. Quae quidem omnia extra omnem dubitationis aleam posita deprehenduntur, si in consilium adhibeantur aliorum testimonia, a MEVRSIO, cuius in rem faciunt, excitata: vnde in scenam producendi sunt oratores. ARISTIDES enim *Orat. in Mineru.* τὴν δὲ τῆς Αθηνᾶς φιλανθρωπίαν, inquit, οἱ περὶ Ὀρέστην λόγοι μαρτύρονται· ὃν φυγόντα μὲν ἐξ Ἄργεος Ἀθήναζε, φεύγοντα δ' Ἀθηναίοις δίκην ὑπ' Εὐμενί-

δων,

δων, ἴσων τῶν ψήφων γενομένων, προσθεμένη τὴν παρ' αὐτῆς, σώζει· καὶ τοίνυν ἔτι νῦν σώζει πάντας, ἐὰν ἴσαι γένωνται. Eadem de calculo Mineruae teſtatus eſt IVLIANVS *Encomio Euſebiae, Orat III. p. 114.* ed. Spanhem: Ἀθήνησι μὲν οὖν φασιν, ὅτε τοῖς πατρίοις ἔθεσιν ἐχρῶντο, καὶ ἔζων τοῖς οἰκείοις πειθόμενοι νόμοις, μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον οἰκοῦντες πόλιν, ἔιποτε τῶν δικαζόντων αἱ ψῆφοι κατ' ἴσον γένοιντο τοῖς φεύγουσι πρὸς τοὺς διώκοντας, τὴν τῆς Ἀθηνᾶς ἐπιτεθεμένην τῷ τὴν δίκην ὀφλήσειν μέλλοντι, ἀπολύειν ἄμφω τῆς αἰτίας· τὸν μὲν ἐπάγοντα τὴν κατηγορίαν, τοῦ δοκεῖν εἶναι συκοφάντην, τὸν δὲ, ὡς εἰκὸς, τοῦ δοκεῖν ἔνοχον εἶναι τῷ πονήρευματι. En ab omni crimine liberationem, vtrique, et reo, et accuſatori, Mineruae beneficio conceſſam! Aduerſari quidem videtur IVLIANVS tum Boecleri et Weſtenbergii, qua noſtram ſuperſtruximus, tum aliorum de paribus numeris opinioni. Sed ſecunda omnia: ſaltat ſenex. Minerua enim, vt recte contendit Meurſius, tum demum, cum calculi in iudicio iam pares eſſent facti, ſuam auctoritatem interpoſuit, atque ita reum, ſupplicibus precibus adducta, prorſus abſoluit. Certe in hac mea argumentatione eo magis confirmor, quo certius mihi teſtimonium denunciat ipſe IVLIANVS. Contendit nimirum, ſuffragiorum aequalium legem, qua de paullo ante verba fecit, in auditorio principis, vſu ſeruatam, Euſebia Auguſta, tamquam altera Minerua, intercedente, longe fieri benigniorem, dum in *Encomio Euſebiae*, ſiue, in *Orat. III. p. 115. ed. Spanhem.* pergit: τοῦτον δὴ φιλάνθρωπον ὄντα καὶ χαρίεντα τὸν νόμον ἐπὶ τῶν δικῶν, ἃς βασιλεῦς κρίνει, σωζόμενον, πρᾴοτερον ἄυτη καθίσησιν. ὃν γὰρ ἂν ὁ φεύγων παρ' ὀλίγον ἔλθῃ τὴν ἴσην ἐν ταῖς ψήφοις λαχεῖν, πείθει

τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ δέησιν προσθεῖσα, καὶ ἱκετηρίαν, ἀφεῖναι πάντως τὰς αἰτίας. Ita vero IVLIANVS non indiget interpretatione Westenbergii figurata: ita amice conspirat cum dictis poetarum: ita sunt omnia clara, omnia perspicua. Breuitatis studiosus mitto PHILOSTRATVM, a Meursio excitatum, atque alios, qui facili negotio cum rhetoribus ac poetis possunt comparari. Iam, notione calculi posita, de ipsa lege ἰσοψηφίας.

Qui in calculo Mineruae eruendo desudarunt, ii vno ore omnes, ne Westenbergio quidem excepto, eundem cum lege parium tabularum statuunt. Sed mea quidem opinione, aliquod interuallum erit attendendum. Minerua nimirum, quam supplex adiit, Orestes, illo ipso temporis puncto, quo impunitatem ei concessit, duos actus coniunxit, ac praeter absolutionem factam, constituit, quasi interpositae auctoritatis memoriam conseruatura, legem in posterum valituram, apud EVRIPIDEM in *Iphigen. Taur. v. 1471.*

καὶ νόμισμ' εἰς ταυτόγε,
Νικᾷν, ἰσήρεις ὅσις ἂν ψήφους λάβῃ.

Disertius adhuc anxio Oresti confirmant Gemini apud EVNDEM in *Electra v. 1268.*

Καὶ τοῖσι λοιπεῖς ὅδε νόμος τεθήσεται,
Νικᾷν ἴσαις ψήφοισι τὸν φεύγοντ' ἀεὶ.

Hinc post impetratam demum a crimine liberationem, nec tempore tamen interiecto, lex ἰσοψηφίας, tamquam legis de iure maioris partis supplementum, seu implementum inualuit: hinc Αθηνᾶς ψῆφος de sententia salutifera, non vti DES. ERASMVS *Adag. Chil. III. Cent. IV.* ed. Venet. 1554. 4. p. 654. fecit, de

de exacto iudicio, in prouerbium abiit: hinc caussae illius imitatione deinceps obseruatum, vt perpetuo paribus calculis rei dimitterentur, quia, vt ait ARISTIDES *Orat. in Mineru.* loco supra laudato, in omnibus capitalibus iudiciis Minerua intelligitur eandem humanissimam tabulam, vltra sententias iudicum, adiicere pro reo. Hinc teste QVINCTILIANO *Declam. CCLIV.* lex iubet eos absolui, qui pares sententias tulerint: hinc MINERVA ipsa in *Areopago Ennii* de parricidio Oresteo dicit:

Id ego aequum ac ius fuisse expedibo atque eloquar,

vt versum GERH. IO. VOSSIVS in *Fragm. veter. Tragic. p. 348.* restituit: hinc SENECA *Excerpt. Controu. III, 2. non est absolutus parricida, sed dubius. Vt absoluaris, multis tibi sententiis opus est; vt damneris, vna. Non absoluerunt reum, sed seculo pepercerunt. Miraris in hac ciuitate misericordiam, in qua lex absolutionem dat paribus tabulis. Quaeris quam multis non placeas? si vnum adiecero, parricida es. Absolutionem legi, non innocentiae debes*: hinc CICERO *Orat. pro Milone c. 3. non sine caussa*, inquit, *fictis fabulis, doctissimi homines memoriae prodiderunt, eum, qui, patris vlciscendi caussa matrem necauisset, variatis hominum sententiis, non solum diuina, sed etiam sapientissimae deae sententia liberatum.* Maximam huius loci vim in reo defendendo tradidit IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS *Miscellan. Iur. Lipsi. 1793. 8. Cap. XIX. p. 160.* vbi de vtilitate e lectione orationum Tullianarum in disciplina iuris criminalis capienda egregie disseruit. Caeterum de iustitia ἰσοψηφίας, eiusque cum iure maioris partis cognatione, cum, et ab antiquis, et recentioribus scriptoribus, satis fuerit disputatum, nihil attinet hoc loco dicere. Neque etiam exponendis variis varia ab aliis ratione pro-

positis caussis, cur absolutio paribus calculis obtineat, iuuat immorari. Siue enim, vt inanes ac friuolas alias mittam, cum Hvg. Grotio *de iure bell. et pac. II, V, 17.* status, quo reus gaudet, integritatem: siue cum Aristotele *Problem. XXIX. c. 13.* metum ac periculum, quod reo imminet: siue cum Iac. Cviacio *Obseruatt. XII, 16.* humanitatem et communem misericordiam respicias: in limitum, quibus circumscriptus tenetur noster libellus, angustia, omnium horum nihil in censum venit. Sufficit, Mineruae calculum in parricidio Oresteo a lege ἰσοψηφίας esse discernendum.

CAP. III.

DE FATIS PARIS NVMERI PENES ROMANOS.

Quem Mineruae calculum vocant, eum vidimus natales suos duxisse e sanctissimo pariter ac seuerissimo, qui Athenis constitutus fuit, senatu Areopagitarum. Singularibus hoc tribunal commentationibus descripserunt praeter Io. Meursium supra laudatum: Io. Schedivs Diss. *Areopagus, vetustissimum Athenarum et Graeciae tribunal, Vitemb. 1677.* eleganti libello et ob praestantiam Gerh. Oelrichii *Collect. Dissertatt. Iurid. Antiqu. Hist. Brem. 1785. 4. num. IV.* inserto: Marq. Freherus *Dissertt. Areopagit.* in Gronovii *Thes. Vol. V. p. 2136.* Canaii Dissertt. duab. *de Areopago (de Canaye Recherches sur l'Aréopage)* in *Commentt. Acad. Inscriptt. Tom. VII. p. 174 — 200. edit. Paris.* Blancardvs Obseruatt. *de tribunalibus Atheniensium (Observations générales sur les tribunaux etablis à Athènes pour le maintien des Loix et*

pour

pour régler les differends, qui s' elévoient entre les particuliers) Hist. Acad. Inscptt. ibid. p. 51. sqq. PAVIVS Disquis. *de Graec. P. III. Sect. VI. Tom. II. p. 3. sqq.* et qui doctis pariter ac semidoctis nostrae aetatis hominibus innotuit, BARTHOLOMAEVS *Descript. Itin. Anacharf. Iun. (Voyage du jeune Anacharsis en Grece) Tom. II. cap. XVII. p. 324. sqq. edit. II. Paris.* Sed cum in omnibus his bonae notae scriptoribus solum occurrant, quae ad Atheniensium instituta faciunt, et de recepto hoc ab aliis gentibus more, reum in sententiarum paritate absoluendi, ALEXANDER AB ALEXANDRO *genial. dier. lib. III. c. 5. et lib. IV. c. 11.* vberius exposuerit: operae pretium esse videtur, quae huic desunt, ea supplere, ac de fatis et vicissitudinibus huius calculi in republica romana obviis hoc capite exponere. Inter omnes autem constat, Romanos, vti omnia alia praeclare instituta, ita leges suas repetiisse e Graecia. Vnde rectissime contendit WESTENBERGIVS *l. c. p. 54.* ἰσοψηφίας legem antiquissimis temporibus, quibus incerto adhuc iure ac moribus patriis vtebantur, Romanis iam cognitam fuisse vsque receptam. Certe de Marcio Coriolano, qui primus paribus tabulis condemnatus est, DION. HALICARN. *lib. VII. cap. 59.* haec scribit: *μίας γαρ καὶ εἴκοσι τότε φυλῶν οὐσῶν, ἃις ἡ ψῆφος ἀνεδόθη, τὰς ἀπολυούσας ἔσχεν ὁ Μάρκιος ἐννέα· ὥστε εἰ δύο προσῆλθον αὐτῷ φυλαὶ, διὰ τὴν ἰσοψηφίαν ἀπελύετο ἄν, ὥσπερ ὁ νόμος ἠξίου.* Ad quem locum IAC. CVIACIVS *Obseru. XII, 16: male Dionysius: cum essent XXI. tribus, et absoluerent Coriolanum IX. si accessissent ei aliae duae, absolutum eum fore διὰ τὴν ἰσοψηφίαν nec enim pares sententiae fuissent, sed vna maior absolutio Coriolani, quem rursus, quod idem duorum iudicio damnatum, libr. VIII. et Plutarchus trium, quae*

condemnationi supererant. Constat autem, vt Marii aliorumque exempla missa faciam, Marcium Coriolanum maiestatis iudicium subiisse quadragesimo anno ante latas leges XII Tabularum. Vnde facile fieri potuit, vt, cum calculus ille per vniuersam fere Graeciam inualuerit, conf. Io. Meursius *Areopag. cap. X.* in Gronovii *Thes. Tom. V. p. 2114.* Romani, siue ex sola consuetudine eum nouerint, siue, quod a vero non est alienum, reversis, qui inclitas legis Solonis describere iussi erant, legatis, perfectissimae legum decemuiralium collectioni inseruerint. Hoc praeter caeteros innuit Qvinctilianvs *Declam. CCLIV. Lex,* inquit, *iubet eos absolui, qui pares sententias tulerint.* Nihil autem romanis scriptoribus frequentius, quam legem κατ' ἐξοχὴν dicere Dodecadelton. Successerunt deinceps leges iudiciariae, quibus in vniuersum forma iudiciorum publicorum definita, et vero etiam paritas suffragiorum confirmata fuit, vt adeo, cum tabellarum ope sine inimicitiarum metu sententia ferri posset, haud immerito tabulas ipsas Cicero nuncupauerit vindices et principia iustissimae libertatis. Certe aetate sua plenissimum robur accepit ista suffragatio, cuius luculentissimum ipse exemplum exhibuit *lib. VIII. Epist. 8. ad Famil.* Sed et sub Imperatoribus illius vestigia adsunt. In summa enim, quam populus romanus in Augustum transtulit, potestate, positum simul fuit hoc, vt, si quis ob delictum pluribus iudicum suffragiis poenae addicendus esset, Augustus posset suo, veluti Mineruae calculo, adiecto, absolventium suffragiorum paritatem inducere, atque adeo reum poenae eximere. Καὶ ψῆφόν τινα αὐτοῦ ἐν πᾶσι τοῖς δικαστηρίοις, ὥσπερ Ἀθηνᾶς, φέρεσθαι: sunt verba Dionis Cassii *Histor. Rom.*

Rom. lib. LI. cap. 19. Singulare sequioris aeui exemplum, quod ἰσοψηφίας legem illustrat, memoriae prodidit PLINIVS *lib. VIII. Ep. 14. Fingamus*, inquit, *tres omnino iudices in hanc caussam datos esse: horum vni placuisse perire libertos: alteri, relegari: tertio absolui: vtrumne sententiae duae, collatis viribus, nouissimam periment, an separatim vnaquaeque tantundem, quantum altera valebit: nec magis poterit cum secunda prima connecti, quam secunda cum tertia? Igitur in senatu quoque numerari tamquam contrariae debent, quae tamquam diuersae dicuntur. Quod si vnus atque idem et perdendos censeret et relegandos, num ex sententia vnius et perire possent, et relegari? num denique omnino vna sententia putaretur, quae tam diuersa coniungeret? — At enim futurum est, vt, si diuidantur sententiae interficientis et relegantis, praeualeat illa, quae absoluit. quid istud ad censentes? quos certe non decet omnibus artibus, omni ratione pugnare, ne fiat, quod est mitius.* Colophonem addat Io. CONTACVZENVS, qui, dum de Andronico minore, auo imperium reddituro, *Tom. I. p. 255. edit. Paris. 1645. f.* sermonem instituit, amici in consilium vocati verba haec commemorat: ἐὰν δὲ ἐνδεῶς, ἢ ὥστε δύνασθαι πείθειν, ἔχωσι, καὶ ἀγχώμαλως ἡ μάχη καταστῇ, τότ' αὐτὸν τῆς νίκης αὐτῷ προχωμεῖν, ὥσπερ τοὺς Ἀθηναίους τῆς Ἀθηνᾶς προσιθεμένης ψῆφον λόγος ποιεῖν: ad quem locum Io. PONTANVS scribit: *opinor tangi iudicium Areopagitarum, quod fuit seuerissimum, et caussam Orestis, quam de matricidio ibidem dixit; accedenteque Mineruae suffragio absolutus est.* Quae quidem antiquitatis testimonia satis, opinor, declarant, calculi, quem Minerua tulisse traditur, vsum Romanis ab antiquissimo inde tempore receptum, perpetua annorum serie non interruptum, sub Byzantinis adeo Imperatoribus adhuc integer-

rimum exſtitiſſe. Sed et ipſa artium, quae pulchritudinis commendationem habent, monumenta, cuius pretii fuerit inuentus ille a Minerua ex Oriſteo parricidio calculus, diſerte loquuntur. Teſtem produco PLINIVM, qui Zophyri cuiusdam, celeberrimi caelatoris, opus egregium memorat *Hiſt. Nat. Lib. XXXIII. cap. 55. Ariſton*, inquiens, *et Eunicus Mitylenaei laudantur, et Hecataeus: et circa Magni Pompeii aetatem Praxiteles, Poſidonius Epheſius, Laedus Stratiates, qui praelia armatosque caelauit: Zopyrus, qui Areopagitas et iudicium Oreſtis in duobus ſcyphis H — S. XII. aeſtimatis.* Caeterum vix opus eſt monere, quod haec ſuffragandi ratio, in numerorum paritate conſpicua, vltimisque adhuc romanorum Imperatorum temporibus vſitata, non ad deliberationes, ſed ad ſola iudicia pertinuerit. Quemadmodum enim in illis eo euentu nihil agitur, niſi ratio paritatem numerorum ad imparitatem redigendi lege aliqua aut moribus definita deprehendatur: ita in his, poſtulante aequitate, comparantur pares ſententiae, modo recte coniungantur et diuidantur, qua de re praeter alios pluribus expoſuit AND. ALCIATVS *Parerg. Lib. IX. cap. 14.* Sic ſub Imperatoribus Romanis inualuit. Certe elegantem de hac re locum habet IVLIANVS *Encom. Euſebiae*, quem ex editione Spankemii ſupra laudauimus. Ibi enim non in conſiſtorio, vti IO. DAN. RITTERVS *ad Heineccii Hiſt. Iur. Tom. I. p. 374.* voluit, ſed in auditorio principis ſuffragia deprehendimus fuiſſe numerata.

Atque

Atque haec quidem hactenus. Quodſi ſunt, qui expetant longas diſputationes, vt et facilius percipiant ſententias, et ſe liberent a moleſto labore legendi veterum ſcriptorum volumina: his ſcribant alii: ego iis tantum, qui eodem, quo ipſe ſemper exarſi, ſtudio flagrant, et ad fontes accedere malunt, quam rivos aſſectari.

E

MINERVAE

RDINIS AVCTORITATE

LOCO

OBTINENDO

S A. O. R. cIↃIↃccxcvi

POMERIDIANIS

ABIT

S STOCKMANN

TECESSOR

IERIDIE

REDO RADISCH

AFFIO-LVSATO

AE

LAVBARTHIA